

legibus opus sit, quæ doctrina iterum ad Politicam spectat. Refer huc tritum illud :

*Oderunt peccare boni, virtutis amore,  
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.*

Sed nolo me nimis late in notissima hac controversia diffundere, quam in plurimis recentiorum scriptorum systematibus ethicis agitatam deprehendes.

§. XII.

Inquirendum potius sollicitius in Demonstrationes morales, & examinandum quomodo illæ comparatæ sint? Veteres existimabant non posse expectari in moralibus apodixin, eo quod hic non habeant locum demonstrationes maxime exquisitæ & mathematicæ, ex quibus solis firmam scientiam, a metuque erroris vacuum gigni statuebant; hinc levi brachio ab antiquis res tractata, metuentibus ne in ambiguis & lubricis præceptis explicandis operam frustra consumerent. Pythagoræi quidem per demonstrationes & mathemata procedebant, ad disciplinam numerorum omnia revocantes; verum paucorum ab ipsis professorum relictæ sunt reliquiæ, unde Theod. Osius restituere doctrinam Pythagoricorum, sed sine effectu, pollicitus est. Superfedeo hic verborum multitudine de aliis prisca ætatis philosophis, inter quos Aristoteles, quod ad præfens negotium attinet, præcipuus fuit, ut pote qui & philosophiam moralem methodo systematica primus tradere aggressus est, & artem demonstrandi e fundamentis ita exstruxit, ut bis mille anno-

*Demonstrationes morales veterum.*

*Inter prisca ætatis philosophos Aristoteles artem demonstrandi e fundamentis exstruxit.*

R r r

rum,